



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 6. De morte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Aprilis.



DIES VI.

De Morte.

I.

*sepulchra
eorum do-
mus eorum
in æternum.
Psal. 48. 12.*

Mors, inquit Job, est universalis exspoliatio; est quædam ab omnibus Creaturis, divitijs, voluptatibus, honoribus, dignitatibus, officijs, cognatis, & amicis separatio. Omnia, & proprium quoque corpus deferenda sunt. Ditissimus quisque, & felicissimus hujus Mundi in hoc articulo æqualem se pauperrimo omnium cognoscer. Tumulus, inquit Propheta, palatium ipsius, vermes indumentum, & tota ipsius supellex erunt. Odoramenta, queis corpus ipsius conditur, impedire non possunt, quò minùs cum omnibus alijs in pulveres reducat, etsi hanc in pulveres conversionem ad aliquot momenta retardent: En, quò colliment omnes humanæ pompæ.

II. Id, quod peccatori in vivis existenti peperit voluptatem, in morte pariet tormentum, cujus causa ipsius peccatum est. Creaturæ, in quibus omnem spem suam collocarât, subitariæ instar ruinæ eum obruent. Is in horrenda hac vacuitate

ita

ira erit animo comparatus, uti foret homo, qui in immensam abyssum demergi se videret, quin aliquid inveniret, e quo se sustineret, lapsūque inhiberet. Quis horror? quæ consternatio? derepente, & momento citius ei eripientur omnia bona, voluptates, & omnia, in quæ felicitatem suam collocarāt, quæque Deo suo anteposuerat. Quam crudelis separatio! quam inaudita violentia! sed, Eheu! videbit, se, cum hæc bona tam brevia, tam vana, & levia deserit, in mala infinita, in mala æterna precipitari. O Mors, quam amara est memoria tua homini, qui felicitatem suam in bonis terræ collocavit!

III. Verum, demus voluptates hæc sceleratas non esse, quid necesse, tantopere illis affici, cum hæc affectio acerbiorē reddat ab ijs avulsionem? demus, hæc bona esse legitimè acquisita, quid necesse est adeò sollicitè ea congerere? in dies ea augere velle, an non idem est, ac multiplicare vincula, ut dein ijs privari molestius nobis accidat? Bona sua cumulare, est impedimenta sibi cumulare: si quis longius iter suscipere cogitat, cuncta minùs necessaria abijcit. éstne longius iter eo, quod è vita ad mortem, è tempore ad æter-


Aprilis.

nitatem suscipimus? quid ergo necesse est, tot rebus inutilibus nos implicare? absque magno dolore non deseritur, quod cum amore possideretur. Spoliemus proinde nos aliquo modo bonis nostris per voluntariam quandam abdicationem in hac vita, ut mors amplius non inveniatur, quod auferat. Evitemus ejus rigores, eandem præveniando. Felix illa anima, quæ dicere cum Apostolo potest: *Quotidie morior.* Felix anima, quam mors sibi metipsum, cunctisque Creaturis mortuam invenit! mors ei mors non est, sed vera vita. vae illi animæ, quam mors totam adhuc viventem occupat.

Inquire in te ipsum, quidnam potissimum difficilem tibi mortem reddat; & ubi id cognoveris, serio stude, ab eo te eximere.

Siccine separat amara Mors? 1. Reg. 6. 15. 32.

Sola virtus Comes est defunctorum.
S. Ambr. in Lucam.



DIES